



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,  
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio  
incarnationis

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniae Agrippinae, 1671**

Canon IV. De purgatione peccati

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

bi secundam auctoritatem & admonitionem Sedis Apostolicae, iustum & rationabile visum est, ut pauca capitula ab Apostolica nobis Sede transmissa, quae ab antiquis Patribus de certis scripturarum voluminibus in hac praecipue causa collata sunt, ad docendos eos qui aliter quam oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus. Quibus lectis, sequentes Canones, ad proscribendos Semipelagianorum errores, & veritatem Catholicam confirmandam, condiderunt.

## CANON I.

De gratia &amp; libero arbitrio.

35 Si quis per offensam praevagationis Adae non totum, id est, secundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatam, sed animae libertate illasā durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus, adversatur Scripturae dicenti (Ezechielis 18.) Anima qua peccaverit, ipsa morietur. Et Rom. 6. Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obedientiam, servi estis eius cui obeditis? Et (1. Petri 2.) A quo quis superatur, eius servus addicitur.

## CANON II.

Quod praevagatione Adae omnes infecerit.

36 Si quis soli Adae praevagationem suam, non & eius propagini asserit noctuisse, aut certe mortem tantum corporis (quae pena peccati est, non autem & peccatum quod mors est anima) per unum hominem in omne genus humanum transfisse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti (Rom. 5.) Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

## CANON III.

De gratia Dei.

37 Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiam Prophetam (cap. 65.) vel Apostolo idem dicenti (Roman. 10.) Inventus sum a non quarentibus me, palam apparui hiis qui me non interrogabant.

## CANON IV.

De purgatione peccati.

38 Si quis ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgati velimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nobis fieri confiteatur, resistit ipsi Spiritui sancto, per Salomonem dicenti (Proverb. 8.) Preparatur voluntas a Domino, & Apostolo salubriter praedicanti (Philipp. 2.) Deus est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.

## CANON V.

Quod ad fidem &amp; regenerationem baptismatis per gratia donem perveniamus.

39 Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fi-

A dei, ipsumque credulitatis affectum quo in eum credimus qui iustificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiam donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente (Philip. 8.) Confidimus quia qui cepit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Iesu Christi. Et illud (ibidem) Vobis datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo pati amini. Et (Ephes. 2.) Gratia salvus factus est per fidem, non ex vobis, Dei enim donum est. Qui enim fidem quam in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt.

## CANON VI.

Quod gratia Dei sumus id quod sumus.

Si quis sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quarentibus, pulsantibus nobis, misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel haec omnia sicut oportet, agere valeamus, per infusionem & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confiteatur, & aut humilitati, aut obedientiae humanae subjungit gratiae adiutorium, nec ut obedientes & humiles simus, ipsius gratiae donum esse contentus, resistit Apostolo dicenti (1. Cor. 4.) Quid habes quod non accepisti? Et (ibidem cap. 15.) Gratia Dei sum id quod sum.

## CANON VII.

Quod non sumus idonei cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis.

Si quis per naturae vigorem bonum aliquid quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutare, id est, Evangelicam praedicationi consentire posse confirmat, & illuc illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati, haeretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis (Joan. 15.) Sine me nihil potestis facere. Et illud Apostoli (2. Cor. 3.) Non quod idonei sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

## CANON VIII.

Nemo per semetipsum salutis aeternae mysterium potest conquirete.

Si quis alios misericordia, alios vero per liberum arbitrium (quod in omnibus qui de praevagatione primi hominis nati sunt, constat esse vivarium) ad gratiam baptismi posse venire contendit, a recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit confirmatum, aut certe ita laesum putat, ut tamen quidam valeant sine revelatione Dei mysterium salutis aeternae per semetipsos conquirete. Quod quam sit contrarium, imple Dominus (Joan. 6.) probat, qui non aliquis, sed neminem ad se posse venire testatur, nisi qui Pater attraxerit. Sicut & Petrus dicit (Matth. 16.)